



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De Sanctis Martyribus Bononiensibus Cajo, Jacto, Heraclo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

partim divulsis; deerant tamen digitorum articuli. Extra vero vasculum in ipso sepulchri pavimento, reperta sunt aliquot exigua ossa, veli particulae in pulverem redactae, particulae aliquot putrefacti jam ligni, crux parvula e ligno affabre tenuissimo opere elaborata, superne perforata, ut funiculo appensa gestari facile posset, omnis expertis cariei.

7 Extractae eae reliquiae omnique diligentia ab illis Sacerdotibus in eadem crypta compositae, ubi etiamnum asservantur: atque ad certiores earum custodiam non solum clave obserata est crypta, sed binis dactorum Patrum sigillis munita, et diu noctuque summo studio et fide ab iis qui inventioni interfuerant, custodita.

Visit eas reliquias URBANUS VIII cum Cardinalibus.

8 Venit eo deinde illasque reliquias visit ac religiose veneratus est Franciscus Barberinus Cardinalis. Ipse quoque URBANUS VIII, Pontifex Maximus sequenti die Martis 28 Novembris, post meridiem, eo venit cum Cardinalibus Torres, S. Onuphrii, Spada, Sacchetti, Pamphilio, Santaerucio, Brancacio, Fran-

cisco Barberino, Burghesio, Ginetto, Caesarino, Don Antonio, multisque aliis utriusque ordinis Proceribus. Curavit Franciscus Barberinus illius ecclesiae Protector et benefactor, ornatum adhiberi, quem tantus merebatur thesaurus. In ara maxima publicae populi venerationi sunt eae reliquiae qua par erat caeremonia ac solemnitate expositae. Ad augendam vero populi pietatem concessit Pontifex plenam indulgentiam reliquias illas pie visitantibus a primis ad secundas usque vespas. Concurrit igitur ingens isthuc populi multitudo.

EX VARIIS.

Indulgentias concedit.

9 *Hactenus Honoratus, qui deinde S. Martinæ Acta Italice edidit, usus præcipue Mombratio et variis MSS. bibliothecarum Vaticanæ et Vallicellanæ, addiditque eruditae annotationes, et historiam inventionis. Alexander Donatus noster lib. 4, de urbe Roma, edito an. 1639, cap. 12 testatur novum S. Martinæ templum a Francisco Cardinale Barberino ædificari, a URBANO VIII, fronte Tiburtini lapidis exornari.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS BONONIENSIBUS

CAJO, JACTO, HERACLO.

1 JANU.

Haud vulgo hi noti Martyres: memorantur in MS. Martyrologio S. Hieronymi his verbis: In Bononia Cai, Jacti, Heracli. Nec suspicetur quis eos esse qui IV Januarii coluntur, Hermetem, Aggeum, Caium; nam et hi in eodem MS. Martyrologio pridie Non. referuntur.

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRIS

VICTORE, FELICE, NARCISSO, ARGYRO, ET SOCIIS.

1 JANU.

Hos exhibuit idem S. Hieronymi MS. Martyrologium his verbis: In Africa, Victoris, Felicis, Narcissi, et Argryri, et aliorum IV.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

PRIMIANO, SATURNINO, ALIO SATURNINO, VICTORE, HONORATO, LEUCIO, HERMETE.

1 JANU.

Hos quoque, haud alibi observatos, accepimus ex eodem MS. Martyrologio S. Hieronymi, in quo isthæc habentur: Papa, Primiani, Saturnini. Item Saturnini, Victoris, Honorati, Leuci, Hermetis. Illud Papa pro Papia positum sit, ab eo qui Martyrologium illud amplificavit, an viri nomen significet, haud statuimus.

